

Kretsch-

mar

1763



52

COMMENTATIO BREVIS
DE
DEVOTIONE PATRONI ET CLIENTIS PRAEVARICAN-
TIVM DITI FACTA
QVA DISQVISITIONES DE JVRE PATRONATVS AD FINEM
PERDVCVNTVR.

AD

ACTVM VALEDI-
CTORIVM

VI. OPTIMAE SPEI IVVENVM
DISCESSVM AD ACADEMIAS

PARANTIVM

D. XXII. APRILIS MENSIS H. A. MDCCCLXIII.
HORA II. A MERIDIE AVDITA

HABENDVM

MAGNIFICVM EPHORVM AMPLISSIMVM
SENATVM PLVRIMVM REVERENDOS V. D.

MINISTROS

NEC NON

QVOSVIS BONARVM ARTIVM ET SCHOLARVM
BENEVOLOS FAVTORES ET PATRONOS
HUMANISSIME ET PEROFFICIOSE

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMAR
LYCEI CRVC. RECTOR.

D R E S D A E

PRAELO JOANNIS GUILIELMI HARPETERI.



S. I.

Nuper Romulea lege, de praeuaricantibus lata Patronis & Clientibus, generatim considerata, nunc paucis de poena, hanc per legem illis dictata, agamus. Nempe lex ipsa, a SERVIO excitata, (v. §. 3. p. 5. s. antea Progr.) eiusmodi praeuaricatorem *sacrum esse iubet: Si Patronus Clienti fraudem fecerit, sacer esto.* Quod etiam vicibus mutatis de Clientibus est intelligendum. Quam legem, concisè scriptam, DIONYSIVS HAL. I. II. p. 84. exponit, tum disertis verbis per facultatem, cuius concessam, praeuaricantes libere occidendi: τῷ βελομένῳ, πτείνει οὐσιοῦ ἦν, cuivis pro lubitu fas erat eum occidere; tum implicitis, addens, praeuaricatorem fuisse existimatū *instar sacrificii*, Joui subterraneo, s. infernoferendi: ὡς θύμα τῇ καταχθούσῃ Διός, quae verba F. SYLBVRGIVS per *sacrificium Diti* *sacrum*, vertit: Tandemque adiicit, cuius corpus praeuaricatoris licuisse, Θεῷ ὀποδήτῃ, μάλιστα τοῖς καταχθούσις καρονομάζειν, SYLBVRGIO interprete, *Deo cuiquam, praecipue Diis inferis, deuovere.* Quilibet facile ex nexu colligit, sacram esse, & Joui subterraneo seu Diti, vel Diis subterraneis deuoueri, idem esse, ac morti destinari, adeo, ut cuius praeuaricatorem, seu legis trans gres-



gressorem, occidere licuerit, quod DIONYSIVS disertis verbis adsirmauit. Sed liceat tamen in iuuenum gratiam, in quam tantum haec talia scribuntur, pauca de his loquendi formis, nempe quid sit, *sacer esto*, quis *Jupiter seu Dis subterraneus vel infernus*, quid *sacrificium Iouis subterranei*, commentari & differere, tandemque monere, annon haec poena, praeuaricantibus dictata, nimis fuerit feuera & iniqua.

§. 2.

Vox *sacer, ra, rum*, prima quidem notione significat illud, quod Deo dedicatum aut consecratum est, ut *loca, templa, &c. sacra*, i. e. Deo Diuinoque cultui destinata: At deinde contrarium fere obtinet significatum, ac idem, quod *exsecrabilis, exsecrandus, Diis deuotus* notat. Sic SERVIVS exponit, ad illud VIRGILII Aeneid. I. III. v. 57: *Auri sacra fames, obseruans, loquendi formam natales Gallis, imprimis Massiliensibus, debere: Massilienses, scribit, quories pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat, atendus anno integro publicis & purioribus cibis: Hic postea, ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam ciuitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala rotius ciuitatis, & sic proiiciebatur: Hoc autem in Petronio lectum est.* Inde saepius hoc sensu vox *sacer* occurrit apud veteres, ut HORAT. libr. Epop. Od. 7. v. 20. *Remi sacer nepotibus cruor; sacer, i. e. exsecrabilis, seu, qui nepotibus exsecrationem adfert.* Nec *sacrum* tamen Ilium ex eiusdem HORATII mente I. III. Od. 19. v. 4. *huc trahendum esse, puto, quod nonnulli contendunt, siquidem hoc potius sacrum dici arbitror, quia Ilium ex fabulosa poetarum traditione, tum a Diis erat aedificatum, tum multis Diis Deabusque consecratum sanctumque*

A 2

fue-

fuerat. Quicquid vero hoc est, ab illo significatu, ex quo *rō sacerdotat* idem, quod *exsecrabilis*, originem trahit loquendi forma: *Sacer esto*, quae duabus a Romulo latis legibus & nonnullis XII. Tabb. aliis que adiecta, indicat illum esse exsecrabilem, Dirisque deuotum, hoe que modo proscriptum, ut quiuis eum impune potuerit occidere, qui legibus egisset contrarium. FESTVS I. V. *Sacer homo dicitur, quem populus iudicavit ob maleficium, nec fas est, eum immolari, sed qui occidit, parricidii (*) non damnatur*; Nam lege tribunitia prima cauetur: si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit: ex quo quiuis homo malus, atque improbus, sacer appellari solet. Quam ad rem confirmandam etiam MACROBII locus facit ex Sat. I. III. c. 7. *Hoc loco non alienum videtur de conditione eorum hominum referre, quos leges sacros esse certis Diis iubent. Quia non ignoror, quibusdam mirum videri, quod cum cetera sacra violari nefas sit, hominem sacram ius fuerit occidi.* Ex quibus patescit, *sacrum*, vel absolute positum, vel cum addito, *Diti sacrum*, illum fuisse dictum, cui lex, adiecta hac formula finiens, ut praeuicatori, mortis poenam irrogaret, cuilibet, cui potestas eius fieret, facultate eum impune occidendi concessa. Nos alioqui *proscriptum* vocamus.

§. 3.

Quaeritur vero, quare ille, qui sacer est, dicatur Joui aut Diis subterraneis dicatus & deuotus? Jupiter subterraneus, *Zevs naraxθόνος*, inferorum, seu Orci Rex, ex profanarum gentium mente

(*) *Parricida h. l. non est, qui patrem, sed generatim, qui liberum occidit hominem, teste FESTO, qui hoc lege, a Numa lata, comprobat: Parricida, inquit, non ubique is, qui parentem occidisset, dicebarur, sed qualemcumque hominem notat. Id autem fuisse, indicat lex Numae Pompili, regis his concepta verbis: si quis liberum hominem sciens morti duit, parricida esto.* v. S. PITISCVS ad Sueton. Caesar. c. 43. §. 5. p. 83, not. 23.

mente tenebris occaecata & superstitionis, fuit Pluto, fratri no-
mine, qui Jupiter, q. iuuans pater, dicebatur, ita appellatus,
quia idem apud Inferos, quod Jupiter apud Superos, tenere im-
perium, credebatur. Graecis *Pluto*(**), ἀπὸ τῆς πλέτρας, a Diuitiis
fuit dictus, quia testibus LVCIANO in *Timone*, & PLATONE
in *Cratylus*, diuitias largiatur, siquidem diuitiae e terra in lucem
emittantur(***) v. NATAL. COMES in *Mytholog.* l. II. p. 175.
Eadem mente, a Latinis appellatur *Dis*, *Ditis*, nomine a diuitiis
deducto: LVCANVS l. I. I. *Phars.* v. 455. s:

- - - - - *Ditisque, profundi*
Pallida regna petunt - - - - -

Idem libr. VI. v. 514: *Arcanaque Ditis operti.* Vt vero Pluto s.
Dis Jupiter Poëtis vocatur: Ita Proserpina, eius vxor, Juno sub-
terranea, Juno Auerna, Juno inferna dicitur; v. CASP. BAR-
THII *Aduers.* l. XXII. c. 10. p. 1091. Nec isti tantum erant In-
ferorum Dii, sed etiam alii, qui tamen eorum erant sub imperio,
memorantur, Parcae vtpote, Furiae, Nox, Mors, Somnus, Mi-
nos, Aēacus, Rhadamanthus, Dii Manes, &c. Ex quo causa col-
ligitur, quare DIONYSIVS HAL. qui l. c. primum factae Joui
subterraneo deuotionis meminerat, postea dicat, τοῖς Θεοῖς ναταχ-
σοντος, *Diis subterraneis* fuisse deuotos, qui Romuli legem de Pa-
tro-

A 3

(**) Dicitur Graecis "Ἄδης q. ᾿ιδης, ex α. & ἄδω video; quae vox non tantum
infera loca, quae describuntur, vt tenebris oppleta, sed & Regem, illis im-
perantem denotat, quasi obscurum & tenebrosum. Inde forma loquendi el-
liptica ἀς "Ἄδη, in N. T. & apud LXX. obvia, ἀς pro ἦ, & per ellips. vo-
cis ἔτενος, q. d. in *Plutonis domo*, in Inferis, in Orco. Deinde pro sepulcro
ponitur, Act. II. 27. v. SCHOETGENII *Lexic.* in N. T.

(***) Idem LVCIANVS in *Dialogo de Lucretu*, haud procul ab init. ait, eum di-
ci Plutonem, διὰ τὸ πλάκατον τοῖς νεγροῖς, quia mortuis abundaret.

tronis & Clientibus latam, migrarent. Ab idolorum enim superstitiosis cultoribus multitudo Deastrorum tum in coelo, tum in Orco regnare credebantur. LVCTATIVS PLACIDVS in Schol. ad Libr. IV. STATH Thebaid. bene scribit: *Pythagoras dicit, duo esse Hemisphaeria, quibus proprios Deos assignat, & facit superioris Regem Jovem & Reginam Junonem. Inferioris Ditem esse Jovem infernum, Proserpinam Junonem infernam, &c.* Postiores itaque *narrat* seu subterranei vocabantur, quia regnum Inferorum s. Orcum sub terra locabant gentes.

§. 4.

Gentes, atque ex his Sapientiores maxime, Epicureis, & qui cum his fecerunt, nonnullis, animae materiam tribuentibus subtilissimam (*), exceptis, ex eius facultatibus & operationibus immortalitatem eius cognouisse, hocque modo statuisse, eam post discessum a corpore manere superstitem, ex illorum scriptis comprobatum dat larga seges scriptorum, qui de *Animae Immortalitate* commentati sunt, quorum plurimos inuenies collectos in b. JO. ALBERT. FAERICII *Delecul Argumentorum & Syllabo Scriptorum qui veritatem religionis Christianae afferuerunt*, c. 18, p. 425. seqq. In transitu tantum prouoco ad ea, quae CICERO in *Catone Major*

(*) De ARISTOTELIS sententia, vtrum animam esse immortalem, an' eam cum corpore intercidere, statuerit, in utramque partem, ab antiquis ad nostra vsque tempore disputatum fuit. Inter negantes, eum animae immortalitatem credidisse, primum tenet locum PETRVS POMPONATIVS in libro de *Animae Immortalitate*. Contra quem ARISTOTELIS partes tuentes multi insurrexerunt, in quibus ANT. SIRMONDVS, JO. NIC. HARDTSCHMID, JO. PETR. LVDEWIG, in pecul. Dissert. alii. Conf. praeter JAC. BRUCKERVM in *Hist. Philos.* b. BVDDEVVS in *Thes. de Atheismo & Superst.* c. 3. §. 2.

iore c. 21. PLATO in *Phaedone*, XENOPHON in *Memoralibus Socratis*, ex huius ore, tradiderunt; Reliquos taceo. Animam itaque post fata hominis esse superstitem, arbitrii sunt gentium sapientes, si non omnes, plurimi tamen. Sed quem in locum, suo relicto corpore discedat, quisque eius sit status post fata, discrepantes admodum illorum fuerunt opiniones. Platonicorum, qui animarum ex Diuina natura vel spiritu illo vniuersali, quem alioquin Archaeum vocant, emanationem fixerunt, sententia fuit, animas post discessum a corpore ad Diuinam reuerti naturam; quae opinio hodie adhuc plurimorum est Fanaticorum. Pythagoras suis cum discipulis insulsam de Μετεμφυχούσαι, seu animarum migratione ex uno in alterum, adeoque in brutorum corpora, doctrinam, quam sectae auctor ex Ægypto secum in Graeciam Magnam attulerat, vbiique disseminarunt. Neque defuerunt, qui statuerent, animam a corpore solutam, aut in aëre circumvolare, aut suo in corpore manere huiusque commercio vti, quam sententiam imprimis ARABICI, tertii post natum Christum coetus sacri turbatores, fuerunt amplexi. At haec opinionum portenta pluribus persequi non vacat, sed tantum breuiter obseruo, vulgarem gentium opinionem, imprimis poëtarum fuisse, animas post fata, in Plutonis seu Jouis subterranei, & Junonis infernae, vel Proserpinæ regnum migrare, quibus postea, Diis Manibus dictis, in perpetuum dominaretur. ALBRICVS, philosophus Anglus, Londinensis, sub init. Saec. 13. fama florens, cuius libellum *de Deorum Imaginibus*, THOMAS MVNCKERVS collectionis suae *Mythographorum Lat.* Tomo II. circa finem subiunxit, c. X. p. 313. hac de re ita scribit: *Pluto, Saturni filius, dictus est ab antiquis Deus inferiorum & regnorum, terrarum, & animarum, iuste decedentium.*

Gre.

Credebat enim antiqui, omnes animas ad inferos descendere, ibique cum Plutone in caligine perpetua remanere. (**).

§. 5.

Ex quo facile apparet, quare proscripti, quos impune occidere cuius permisum erat, Plutoni s. Diti, item Inferis Diis destinati & deuoti dicantur. Quia videlicet Pluto Manibus dominabatur, ut Jupiter erat, poetis testibus, Diuum pater atque hominum viuorum Rex: Inde, qui capite plectebatur, Ioui subterraneo tradi dicebatur. Deuoti aliquin vario apud veteres veniunt sensu: Deuotus erat ille, qui Græcis *αὐτιφυχος*, quasi *animam pro anima* s. vitam pro vita alterius *tradens*, dicebatur, cuius deuotionis exempla Romanorum res gestæ nobis suppeditant, quando videlicet vel adeo consules se pro exercitibus deuouebant, quod P. Decius fecit, teste LIV. l. VIII. c. 9. Quorsum & M. Curtii factum pertinet, qui pro salute Reipublicæ, orta in foro voragine se, vectum equo, præcipitem in eam dedit. Deuoti erant, qui se perpetuo Numinis cultui dicabant; Qualis deuotio in sacro codice erat Jephæ, filiam Summi Numinis cultui consecrantis, *Judic.* XI. v. 30. seqq. At longe aliud erat deuotionis genus, ex quo Romani vrbes, quas oppugnabant, aut hostiles exercitus internectioni deuouebant, cuius solennem formulam exhibet *Macrobius Saturn.* l. III. c. 9. Huc quodammodo pertinet Patronorum & Clientium deuotio, qua Diti subterraneo destinabantur. Sed his diutius immorari, non vacat. Conf. S. PITICVS in *Lexic.* T. II. p. m. 30.

§. 6.

(**) Inde loquendi formae apud veteres: "Ἐρχεσθαι εἰς ἡδονήν, κατηγόρειν εἰς ἡδονήν & εἰς ἡδωνήν, HOMER. Iliad. v. 323. δύνασθαι δέ μου ἡδονήν ἀπο, subire intra domum Plutonis, de anima defuncti. v. MVNCERVS ad citat. l. Albici.

§. 6.

Tandem paucis moneo, haec poenam videri quidem nimis seueram: At talis non est, si perpendimus, legislatoris voluntatem, quae lex summa est in republica, vtpote qui absolutam & summam tenebat potestatem, quique praeterea illis, quas ferebat, legibus salutem ciuitatis tantum respiciebat, vt nempe arctior nexus esset potentium & infimorum ciuium. Horum igitur ipsi subiectorum erat, necessario se ad eius voluntatem accommodare, promtaque obedientia hanc legem exsequi. Nec impossibile quid aut quod vires eorum transgrediebatur, praeципiebat, sed quod omnibus erat possibile atque salutare. Nil itaque iniqui fuisset aut iniusti, si talis praeuaricator legis extitisset, (qualis vero teste DIONYSIO I. II. p. 85. libera republica nullus fuerat vnquam), hocque modo mulctatus fuisset. Sed haec sufficient.

* * *

In praesenti vero argumentum de Patronatus iure inter Romanos ab Vrbis conditore introducto, quod adhuc variis commentationibus, praefaminum, actibus publicis praemissorum, loco, in lucem emissis, tractaui, hac ultima disquisitione, quae Summi Numinis gratia est, finio. Forsan imposterum, Deo iuuante, vitamque & vires largiente, adaucta illa, quae per partes commentatus sum, in formam iusti tractatus redigo, imprimis cum constet, hoc noble antiquitatis Romanae argumentum neminem ex instituto per tractasse. Nunc vero ad rem progreder: Sex sunt ex discipulorum numero, qui rite iactis in schola inferiore fundamentis, adspirantes ad altiora, patriae Academias salutare constituerunt.

B

Ex

Ex legibus itaque nobis praescriptis cum illis Patronis atque scholae valedicendum sit, ipsis argumentum *de generis humani redemtione* pro virili explanandum, ad quod me scripturae genus iamiam pertractatum, adduxit, praescripti. Sequenti vero ordine, nec tamen eo, quem in schola tuitus est quisque, sed libere facto, in arenam descendedit:

- I. JO. AVG. OPITIVS, Dresd. profaico sermone lat. *quomodo humanum genus sub Ditis s. Diaboli potestatem sit redactum, docebit. Quem excepturus*
- II. CHRISTOPHORVS FRIDER. SARTORIVS, Dresd. eodem dicendi genere *de miseria hominum, a Satana sub potestatem redactorum, dicet. Postea*
- III. JO. Gottlob BRETSCHNEIDER, Kadizens. *Redemtorem generis humani eiusque redemtionem verbis Latinis describet. Quo facto*
- IV. CHRISTIANVS Chregott WEINLIGIVS, Dresd. itidem Latinum adhibitus dicendi genus, *quinam sint ii, qui redemtionis Christi fiant & sint participes, ostendet. Quem secuturus*
- V. CHRISTIANVS Gotthard WEINLIGIVS, frater antecedentis, vernacula usurpa lingua, *libertatem, in quam nos Christus afferuit, exponet. Tandemque*
- VI. CHRISTIANVS Gottlob HESSIVS, Rochliz. oratione profaica Latina, *gratam, quam Redemtori debeamus, mentem,*
re-



redemtis inculcabit, finitoque hoc sermone, tum suo, tum abitufientium commilitonum nomine Patronis & Praecoptribus, nec non commilitonibus illud *valete*, vernaculum recitaturus carmen, acclamabit. Quibus a nobis paulo post discessuris

JO. FRID. GVIL. PRIBVS, Dresd. pari modo improsaicum sermonem vernaculum adhibiturus, fausta quaevis appre-
cabitur.

Vt & hos probos & perindustrios artium cultores, vltimo loco in conspectum publice prodituros, frequenter & beneuole audiant artium humanitatis & scholarum FAVTORES & PATRONI, imprimis MAGNIFICVS EPHORVS, AMPLISSIMVS SENATVS, PLVRIMVM REVERENDI V. D. MINISTRI & reliqui, est, quod enixe ab iis, petam atque contendam. Discessuris vero & ego omnis generis prosperitatem, & felicem in artibus & scientiis decursum, ex animo appreco, quo tales euadant, qualem omnes, quibus innotuere, de iis spem & exspectationem conceperunt: Faxit Deus feliciter! Dabam Dresdae
e museo Cruciani, die XXI. mensis April.

A. O. R. MDCCLXIII.



Ko 988^b

X 231 6384

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



528
COMMENTATIO BREVIS

DE
DEVOTIONE PATRONI ET CLIENTIS PRAEVARICAN-
TIVM DITI FACTA
QVA DISQVISITIONES DE JVRE PATRONATVS AD FINEM
PERDVCVNTVR.

AD

ACTVM VALEDI-
CTORIVM

VI. OPTIMAE SPEI IVVENVM
DISCESSVM AD ACADEMIAS

PARANTIVM

D. XXII. APRILIS MENSIS H. A. MDCLXIII.
HORA II. A MERIDIE AVDITA
HABENDVM

MAGNIFICVM EPHORVM AMPLISSIMVM
SENATVM PLVRIMVM REVERENDOS V. D.

MINISTROS

NEC NON

QVOSVIS BONARVM ARTIVM ET SCHOLARVM
BENEVOLOS FAVTORES ET PATRONOS
HYMANISSIME ET PEROFFCIOSE

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMAR
LYCEI CRVC. RECTOR.

D R E S D A E

TRAELO JOANNIS GVIELMI HARPETERI.

